



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Si mali in inferno peccabunt. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Super Gen.  
ad literam,  
l. 1. cap. 35.  
in princ.*

*Ibid. paulo  
inferius.  
2. Cor. 15. f*

*Aug. in En-  
chir. c. 111.*

*In lib. de fide  
ad Petrum,  
ca. 3. 26.*

tem, & post mortē ipsa carne deposita nō sic vide-  
re posse incommutabilem substantiam, i. Deum,  
sicut sancti angeli vident, siue alia latentiore cau-  
sa: siue ideo, quia inest ei naturalis quidam appe-  
titus corpus administrandi, quo retardatur quo-  
dammodo, ne tota intētionē pergat in illud sum-  
mum cœlum, donec ille appetitus conquiescat.  
Porro si tale sit corpus, cuius sit difficilis & grauis  
administratio, sicut hæc caro, quæ corrumpitur:  
multò magis aueritur mens ab illa visione sum-  
mi cœli. P. oinde cum hoc corpus iam non anima-  
le, sed spirituale, recepit æquata angelis, habebit  
perfectum naturæ suæ modum, obediens & impe-  
rans, viuificata, & viuificans, tam ineffabili fabili-  
tate, vt sit ei gloriæ, quod fuit sarcinæ.

SI MALI IN INFERNO PECCABVNT.  
DISTINCT. L.

**H**ic oritur quæstio, ex præmissis ducens originē.  
Supra n. Aug. loquens de malis in inferno da-  
mnatis, & bonis in cœlo glorificatis, dixit, quod  
nec bonis voluntas, nec malis facultas esse peccādi  
poterit. Et de bonis quidē constat, sed de malis  
quibus voluntatē malam non remouet, quæritur  
quomodo sit verum eos non posse peccare: imò,  
quomodo verum sit eos non peccare, cum malam  
habeant voluntatē? Quidam autumant illam vo-  
luntatē nō esse peccatum, sed supplicium tantum.  
Alii vero peccatum esse fatentur, sed per illud eos  
non mereri aliquā pœnā: quia nō est ibi locus me-  
rēdi. Illud ergo peccatum dicunt nō esse meritum  
supplicii, sed supplicium mali meriti, quod in hac  
vita præcessit. De hoc a. Aug. ita dicit. Tempus ac-  
quirēdi vitam æternam in hac tantum vita Deus  
hominib. dedit, vbi voluit etiam pœnitētiā esse  
fructuosam. Ideo hic pœnitētia fructuosa est, quia  
potest hic homo deposita nequitia benè viuere, &  
mutata voluntate, merita operāq; mutare, & ea  
gere-



gerere, quæ Deo placeant. Quod qui in hac vita nõ fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu domini non inueniet: quia etsi erit stimulus pœnitentis, tamẽ nulla erit ibi correctio voluntatis: A talibus enim ita culpabiliter iniquitas sua, vt nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari iustitia. Voluntas enim eorum talis erit, vt habeat semper in se malignitatis suæ supplicium, nunquã tamen recipere possit bonitatis affectum, quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi, qui erunt in supplicio æternæ ignis cum diabolo & angelis eius deputati, sicut nullam habebunt vlteri⁹ requiem, sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem. Et sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam: ita consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis. Ex his apparet reprobos in inferno pœnitentiam sic gesturos, vt per eam prauam voluntatem non deserant: & illa maligna voluntas erit eis ad cumulam pœnæ: per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur nisi in hac vita.

*Quare dicuntur tenebræ exteriores.*

B

Hic quæri potest. Quare illæ tenebræ, quibus inuoluentur mali in gehenna, dicuntur tenebræ exteriores? Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem & spiritualem, scil. Deum erunt. Nunc n. etsi patiantur tenebras in cæcitate mētis, non tamen penitus extra lucem Dei sunt, nec corporali luce priuantur. De hoc Aug. sic ait, Ira Dei & in iudicio erit, & hic est in cæcitate mentis, cum dantur mali in reprobam sensum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, ni-

*Ca. 3. ad Pe-  
trum, conti-  
nuo.*

*Matth. 25. d*

*Gloss. ora.  
ad Psal. 6.  
versu. 7.  
Turbatus  
est à furore.*

*1. Tim. 6. 6*

ooo

si esse